Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputatio Philologico-Historica De Imperio A Posteris Judaæ Ante Adventum Christi Nec Auferendo, Nec Ablato ...

Köppen, Nicolaus

Gryphiswaldiæ, [MDCCXXIX?]

VD18 13279890

urn:nbn:de:gbv:45:1-16529

Visual Library

A ϑ Ω

DISPUTATIO PHILOLOGICO-HISTORICA

DE

IMPERIO A POSTERIS JUDÆ ANTE ADVENTUM CHRISTI NEC AUFERENDO, NEC ABLATO,

QUAM

Consensu Amplis. Facultatis Philosophicæ,

sub

PRÆSIDIO

VIRI EXCELLENTISSIMI ATQUE AMPLISSIMI

DN. NICOLAI KÖPPEN,

LINGV. OR. P. P.

CELEBERRIMI

Publico examini subjicit

AUCTOR ET RESPONDENS

RICHARDUS SILVIUS,

CAROLICORONA SVECUS

S. S. THEOL. ET PHILOS. STUDIOSUS.

Ad Diem XIIX. Aug. MDCCXXIX. in Aud. max.

GRYPHISWALDIÆ,

Typis CAROLI HÖPFNERI, Reg. Acad. Typogr.

Landesbibliothek Oldenburg

S:Æ. R:Æ. M:TIS SVECIÆ

MA IRO

CLASSIS RONENSIS

AMM TORI

PER-ILL OSISSIMO

D,

DN. FRI-

O

OB DT,

LIB. BA TAD, &c.

MÆ ULGEN-

Landesbibliothek Oldenburg

S:Æ. R:Æ. M:TIS SVECIÆ

MAGNÆ FIDEI VIRO

CLASSIS REGIÆ CAROLICORONENSIS AMMIRALI atq; DIRECTORI

PER-ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO

DOMINO,

DN. JONÆ FRIDERICO OERNFELDT,

LIB. BARONI DE HERRSTAD, &c. &c.

MÆCENATI SUO INDULGENTISSIMO.

Landesbibliothek Oldenburg

PERILLUSTRIS AC GENEROSISSIME DOMINE BARO

SI cui unquam animum devinctum erga Mæcenatem suum publicis contestari literis incubuit, me certe eum esse existimo, ut qui maxime adstringor ad subjectissimam meam erga ILLUSTRISSIMUM NOMEN OERNFELDIANUM *observantiam propalam declarandam. Sane obligatio filii erga Patrem tanta non est, quantam meam erga* TE, EVERGETAM MEUM SUMMUM, *esse reputo. Multum Filius Patri debet, liberaliter habitus: multum quoq; poscere jure potest, quod ei negare paternus amor ac innatus vetat adfectus. Me vero in prima statim infantia parente utroq; orbatum, nullo sangvinis jure, sed mero benevolentiæ, ut est provida* NUMINIS SUMMI *directio, impetu motus, ut filium fovisti. Adscitum alumnum tanta deinde benignitate prosecutus es, ut non tantum omnia, quæ corpori sunt necessaria, provideris, sed & animum tenellum scientiis statim imbui curaveris. Hæc beneficia non fuerunt simplicia, sed indies aucta, ac per cursum annorum duodeviginti adhuc usq; constanter collata. At quæ beneficia!* TUA *sane,* ILLUSTRISSIME DOMINE BARO, *Gratia ac Benevolentia fecit, ut hosce, quamvis tenues valde, profectus adsecutus fuerim.* TUUM *etiam munus est, quod non solum Musas Aboicas, verum & hasce adire licitum fuerit, quæ quo-*

Landesbibliothek Oldenburg

quoq; suave suum lac animo ita instillavere, ut ingenii huncce fœtum, immaturum licet, eniti tandem potuerim; quemq;, veluti genitor ejus semper in sinu favoris gestatus est, etiam benignissime excipiendum fovendumq; INDULGENTISSIMO SUO PATRONO *insinuat. Ne indigneris,* PERILLUSTRIS DNE BARO, *quod rudis sit ac incomtus, comtiorem olim pollicente ætate adhuc viridi. Nec ægre feras, quod* NOMEN TUUM ILLUSTRE *levi huic chartulæ præfigere ausus fuerim. Hæc etenim unica erat ratio, beneficia* TUA *insignia, numerumqve excedentia coram toto celebrandi orbe. Veniam quoq; des, devotissime oro, si materia, quam elegi, elegisse tamen gratissimam,* TUOQVE INGENIO, *ut est in Mysteriis Sacris se valde delectans, maxime congruentem existimo, ex asse non arrideat; aut ita pertractata non sit, ut sublimitas ejus,* TUUMQVE *optasset desiderium. Consulas tandem in posterum, supplicibus verbis efflagito, saluti, cujus auctor solus es, Clientis Tui, qui precibus* NUMEN ALTISSIMUM *fatigare non desinet, ut salute ac incolumitate constanti* PERILLUSTREM DM BARONEM, TOTAMQVE GENEROSAM FAMILIAM *prosperet, quiq; pio, ut par est, animo ac adfectu* ILLUSTRISSIMUM NOMEN OERNFELDIANUM *ad cineres venerabitur*

PERILLUSTRIS AC GENEROSI NOMINIS TUI.

Cliens & Alumnus subjectissimus ac observantissimus

RICHARDUS SILVIUS.

Landesbibliothek Oldenburg

§. I.

PAssim in Commentariis ac Homiliis legas, nonnullos ad *Luc. II. 1.* ubi dicitur, mandatum Augusti Imperatoris Romani tempore nativitatis Christi emanasse, ut per totum imperium Romanum & in specie per Judæam census institueretur, in ista esse opinione, quod *tunc temporis sceptrum a tribu Juda jam fuerit ablatum* secundum vaticinium *Gen. XLIX. 10.* Et sane hæc non tantum proletaria est opinio, sed ex instituto ita statuunt plerique, qui per Herodem M. alienigenam a tribu Juda Sceptrum ablatum volunt, ut SPANHEMIUS *Dub. Evang. P. II. Dub. 17.* & GE. ER. PHALETRANUS (quod fictum nomen est GUNTERI HENR. PLATNERI, Consiliarii, dum in vivis erat, Vinariensis) in *Exercit. historico-philologica de Sceptri Judaici ablatione*, quam in *Syntagmate variarum disputationum rariorum* J. GEORG. GRÆVIUS recudi fecit, *Ultrajecti 1708.* Sed e contrario recte statuunt, qui, quicquid de cessatione imperii politici a Jacobo Patriarcha prædictum est, ante Messiæ adventum, & quidem non præcise spectatum, sed quatenus operis redemtionis per mortem & resurrectionem perfectionem continet, evenisse negant. Et nostra hic merito facimus Exegetæ & Theologi pariter consummatissimi B. SEBAST. SCHMIDII verba, qui in *Comm. ad Gen. XLIX. 10.* ad verba: *usqve dum venerit Schilo*, hæc habet: *His verbis indicatur, qvod resp. Judaica ante adventum τȣ̃ Schiloh everti non debuerit, sed adhuc stare, cum veniret, & qvamdiu maneret; everti autem mox, qvando ille venisset, & non amplius adesset. Ita stetit adhuc, Christo in carnem veniente & præsente, eversa autem est mox post mortem Christi.* Recte sententiam dixisse ut constet, duo inprimis probanda nobis incumbunt, & *sensum vaticinii Jacobi Gen. XLIX. 10.* hoc postulare, & *huic eventum* exacte respondisse.

§. II. *Prius* dum agimus, instituti nostri nunc non est, plenam & exactam in vaticinium adductum commentationem edere, sed ea inprimis, quæ *scopo* nostro serviunt, *quæstionibus* nonnullis huc facientibus propositis, in medium adferre, & ex ipsis textus visceribus, vi & genuina vocum & phrasium significatione, brevibus decidere sufficiet.

§. III. Itaque, cum entheus Senex vaticinatur: *NON RECEDET SCEPTRUM A JUDA, ET LEGISLATOR AB INTER PEDES EJUS, DONEC VENIAT SCHILOH, ET ILLI ERIT OBEDIENTIA POPULORUM:* Prima qvæstio est: *Utrum Adventus Christi s. Messiæ hic omnino prædicatur, isqve vocabulo* שילה *designetur?* Quæsitum affirmant non modo *Christiani* tantum non omnes, verum & *Judæi* tum Veteres, e. g. *Targumistæ*, ONKELOS, JONATHAN & HIEROSOLYMITANUS, *Talmudistæ*, *Middraschici*, *Kabbalistæ*, tum recentiores, inprimis *Commentatores literales*, R. SALOMO, ABENESRA, D. KIMCHI, D. ISAAC ABARBENEL, R. BECHAI, & quos non Christianis contradicendi libido in transversum egit & ineptire fecit. Integras Judæorum interpretationes ordine adduxit & examinavit, ac in quantum a vero abeunt, confutavit JAC. ALTINGIVS in *Schilo l. 1. per tot.* præter quem conferantur, qui ex instituto contra Judæos scripserunt, RAIMUND. MARTINI in *pugione fidei P. II. cap. 4.* & ad hunc JOSEPH de VOISIN in *observationibus.* PETR. GALATINUS de *arcanis Catholicæ veritatis Lib. IV. cap. 4. seqq.* & passim, item recentiores magno numero, e nostratibus CHR. HELVICVS, MI. HAVEMANNUS, J. MOLLERUS, C. WAGENSEILIUS in *confut. carminis Lipmanni*; e Reformatis præter ALTINGIUM, VOETIUS, JO. GUSSETIUS, &c. Itaque, si illos, quos *Bechai* & alii saniores Judæorum interpretes adducunt, aut qui contra Christianos disputantes longius petita malæ causæ subsidia quæsiverunt, excipias, per SCHILOH Messiam intelligi, Judæi nobiscum consentiunt. Testimonia ipsorum magno numero citavit SEB. EDZARDI ê *B. Parentis sui codd.* paginis lineisque signatis, sub fin. dissertationis suæ c. Clericum. Hoc magis mireris, inventum esse e Christianis, qui dum hic plus aliis sapere & intelligere voluit, næ intelligendo fecit, ut Judæis videatur cœcior. JOH. CLERICUM nomi-

nominamus, qui neglecta recepta a Judæis pariter & Christianis interpretatione significationem voc. שילה plane novam nobis obtrudit, eandem per *finem ejus* reddens. Rationem, cur a Veterum abiret sententia, nullam video. Causatur quidem, argumentum hocce ad Judæos convincendos esse debile ac infirmum; sed sine fundamento. Finge enim שילה esse Messiam, & sane facili negotio confutabuntur Judæi. Prætendit, nobis alia esse argumenta, nimirum ex *Deut. XVIII. 15.* &c. robustiora: iterum sine causa, quoniam hoc nostrum cardinale est. Objicit tertio, hoc dictum a Christo apostolisve non esse allegatum. Verum nil sic firmum in Vet. Testamento inveniretur, nisi quod ex eodem attulerint Christus atque apostoli. Qvanquam falsum etiam sit, non allegari. Apostolus enim, cum *Hebr. VII. 14. manifestum esse*, ait, *quod e Juda ortus sit Dominus noster*, non sane alium respexit locum, quam hunc *Gen. XLIX. 10.* cum in aliis quidem locis Messias *semen mulieris*. Gen. III. 15. *Abrahami Genes. XII. 3. XVIII. 18. XXII. 18. Isaaci Genes. XXVI 4. Davidis 2. Sam. VII. 12. seqq. Jes. XI. 1.* dicitur, in hoc solo a Juda oriturus prædicatur. Hoc vero, quo jure apostolus πρόδηλον *manifestum* dicere potuisset, si nullibi in V. T. tabulis expresse legeretur? Plura ejus dubia causa brevitatis non attingimus, & sufficiet ostendere, derivationem voculæ שילה, quam facit, esse inconvenientem. Dicit namque, שילה esse pro שילו & significare idem, quod קצו *finis ejus*. Illud שיל descendere a rad. שול, ut גיל a גול, חיל a חול &c. & ejusdem esse significationis ac Chaldaicum שלה *cessare, desinere*, & arab. שאל Schaala *deficere*: hinc apud Hebræos esse שול *fimbriam* vel *oram vestis inferiorem, ejus* quasi *finem*, atque ideo per שיל *finem* s. *cessationem* significari; & *finis ejus, vel ad legislatorem vel ad sceptrum referri posse, aut etiam ad ipsum Judam, ut sententia verborum sit:* Donec Judæ tribus incolumis erit, nunquam regnum amittet, semel sibi in Davidica familia collatum. Sed Resp. neque שול pro *fine* sumtum, neque שיל Hebraicas esse voces, etiamsi analogia talem permitteret flexionem, usus ejus quoniam abest. Tum tautologica interpretatio evaderet, ad eundem, quo diceretur, modum: *Juda semper vivet, donec morietur; ipse, vel regnum ejus semper erit*

Landesbibliothek Oldenburg

donec cessabit. Adhæc valde absonum esset, ita concludere: quoniam vocula שול *fimbriam* s. *partem infimam* vestimenti significat, ideo *finem* cujusvis rei eadem etiam notat. Litera tandem pronominalis ו fictæ ejus voci שיל suffixa, nec ad legislatorem aut Sceptrum referri potest, ob dictam sc. tautologiam, divino vate sane indignam, i. e. *semper erunt reges, usqve dum amplius non erunt, sive donec finis veniet*, nec ad tribum Jehudæ hoc modo: *semper erunt reges ex tribu Juda, donec ejus nempe tribus erit finis*, quod rationi temporum historiæque adversatur; nec ad utrumque, tum enim suffixum haberet ם, hac ratione: שילם. Objicit quidem iis, qui ad r. שלה referunt, nullum in Hebræa lingva inveniri vocabulum, ejusdem quod esset *formæ*; sed opponimus voces קִיטוֹר *Genes. XIX. 28.* קִימוּשׁ *Hos. IX. 6.* פִּישׁוֹן *Gen. II. 11.* פִּינוֹן *Genes. XXXVI. 41.* &, si in fine desideret *Clericus* ה, habeat שלמה item גלה *Jos. XV. 51.* contra quas nil aliud reponet, quam quod nomina sint propria. Ultimum, personam per vocabulum שילה intelligi, ostendit vox ולו, quæ in ultima interpunctatione commatis 10. habetur. Nam vocula hæc respectum neque ad sceptrum & legislatorem, neque ad Judam habet, sed ad שילה Messiam, qui *lumen* est *gentium*, Es. XLIX. 6. earundemque *desiderium, Hagg. II. 8.* &c. cui quoque obedientia ista præstanda est. Taceo, quod nulla nec exigi, nec præstari a gentibus poterit obedientia regno Judaico, aut tribui Judæ, post eorum finem ac interitum, sicque satis Clerico obviam itum esse existimo. Qvi ampliorem ejus refutationem exoptat, dissertationem adeat BERGERI sub præsidio JOH. GEORG. NEUMANNI de *Schilo principe Davidis*, & inprimis SEBAST. EDZARDI de *Schiloh Jacobi Patriarchæ vaticinium, à depravatione J. Clerici assertum, Londin. 1698.*

§. IV. Qvæ cum ita sint, mireris oportet Celeberrimum Dn. ZELTNERUM, Philologum & Theolog. Altdorff. hanc Clerici sententiam si non in omnibus, in hoc tamen, quod & ipse שיל de *fine* accipit, secutum, & eatenus interpolasse. Suffixum תו שיל ad *legislatorem* refert, per quem cum intelligit *synedrium, qvatenus in Cathedra Mosis sedet, Matth. XXIII. 2.* sive *ipsum Mosen in officio spectatum, qvatenus suum officium per synedrium exercuit*, hujus

Chri-

Landesbibliothek Oldenburg

Christum finem dici existimat, perinde ut *Rom. X. 4. finis legis* dicitur, *in Schiloh, nodis soluto*, Disputatione *in h. l.* anno 1710. Altdorfi habita; contra quem uti jam nonnulla monuit Dn. Rus in Disp. *in h. l.* A. 1718 Jenæ habita, §. 21. ita hoc tantum addimus, niti falso supposito *legislatorem h. l.* esse *synedrium*, quatenus fuit *docens*, atque sic *Mosis officium sustineat*. Licet enim *synedrium* utique per *legislatorem* intelligatur, ut suo loco dicemus, intelligitur tamen, non quatenus est *docens*, aut quatenus in *cathedra Mosis sedet*, sed quatenus *sceptrum tenet*, atque sic quidem circa leges versatur, sed non scholastice docendo & interpretando, sed quatenus *sedet in tribunali* & ut politicus judex & magistratus leges ad causas & casus emergentes decidendo applicat, id quod correlatio ad שבט *sceptrum* postulat. Tum *finem legis* esse, de Christo quidem prædicatur, nullibi autem hic absolute ita appellatur, ut nulla alia ejus mentione prævia hoc nomine veniat. Ast in *h. l.* Christi hactenus mentio nulla facta est, quæ cum hoc vocabulo שילה demum fit, quod per se *finem* significare supponitur, non potest facile intelligi, hunc *finem* esse *Messiam* resp. legislatoris. *Legislatoris* perinde hic finis futurus dicitur, ut *sceptri*: at *sceptri* finem fore non docetur suffixo τῷ שילה, si quod est, ergo *nec legislatoris*, sed utriusque finis indicatur per part. עד כי, non alia ratione: atque adeo, ut *regni Judaici finis* Messias dici non potest, sed hoc per se & justo Dei judicio desiit; ita nec *legislatoris* h. l. *finis* dicitur. Porro cum ab Apostolo *Christus legis finis* dicitur, hoc non fit ratione *cessationis legis*; absit enim per omnem modum, ut hoc sensu legis moralis finis dicatur, cujus ut immutabilis & æternæ ac constantis Dei voluntatis finis & cessatio non potest unquam esse: sed ratione *impletionis legis*, quia venit Christus, non ut legem solveret, sed ut impleret. *Matth. V. 17.* Itaque omnino a saniore Theologia alienus sensus est, ut ratione *cessationis legis*, ejus *finis Christus* dicatur. Licet hic enim legi ceremoniali umbratili, tanquam ejus corpus, quo præsente umbra disparet, finem attulerit *Hebr. X. 1. Dan. IX. 26. 27.* absolute tamen hoc sensu *legis* & ejus quidem præcipuæ *moralis* & *æternæ finis* dici nequit.

Landesbibliothek Oldenburg

§. V. *Formæ* quidem *Grammaticæ* τῆ Schiloh difficultatem causatur: & ea non nulla est, unde & de *origine* sive *derivatione* & *significatione* ejusdem incerti sunt. Pontificii, in gratiam versionis vulgatæ שִׁילֹה *missum* vel *mittendum* comminiscuntur, quasi alia fuisset lectio. Qvorum sententias in *dubiis vexatis* adduxit B. PFEIFFERUS ad *h. l.* earum recensione de industria supersedemus. R. NISSIN ap. ABARBENEL idem est, quod של, 2 *Sam. VI.* 7. vel שלי, 2. *Sam. III.* 27. *error*, quasi dicatur, *donec veniat error* vel *prævaricatio Salomonis.* GUSSET. refert ad rad. לוה, unde fit futurum apocopatum יִלֶה, cum præfixo pronomine ש, ex quo in concursu Schevajim fiat שִׁילֶה, cum ה secunda radicali mobili sive mappikato; significare eum, *qvi gravissimis laboribus premitur.* Verum si tantam ἀνωμάλως punctandi licentiam nobis sumimus, quidlibet e quolibet exsculpere licet, cum regularis punctatio foret שִׁיֵּלֶה. Longe aliam radicem fingit EMO LUCIUS VRIEMOT in Diss. de *Schiloh Judæ illustri germine*, *Trajecti ad Rhenum anno* 1722. edita, sc. אצל, pro qua Arabes אשל dicant, & hinc pro Hebr. אציל (unde pl. אצלים *magnates, separati, insigniti*, ausnehmend/ die sich von andern distingviren/ *Exod. XXIV. 11. Jes. XLI. 9.* uti אצילות *axillæ*, extantior corporis humani pars sunt) esse אשיל, & per aphæresin שיל, cumque suffixo שילה, quod *genere, virtute* & *existimatione nobilem* significet, & confert cum אדיר *Jer. XXX. 21.* itidem Messiæ epitheto. Dudum ante hunc HILLERUS in pec. Diss ad rad. שאל reduxerat. Hic enim שִׁילוֹ vel שִׁילֹה vult esse pro שְׁאִילוֹ *expetitum ejus.* conf. *Onomast. ejus P. I. p. 431.* Sed quis conjectandi finis? Hujus tamen conjecturæ suam præfert VRIEMOT. Qvi plures derivationes cognoscendi avidus est, adeat PFEIFFERI *Dubia Vexata in h. l.* Missis vero derivationibus arbitrariis duæ inprimis sunt, quæ de palma inter se contendunt, dum vel ad rad. שלה *tranqvillus, pacificus fuit*, refertur, vel pro nomine habetur שיל, quod *embryonem* vel *tenellum infantem* significat. Utraque multos habet adsertores, qui videri possunt apud PFEIFFERUM *l. c.* *Priorem* adstruunt cum ex *analogia Grammatica* ad formam sc. קִיטוֹר *Genes. XIX. 28.* & גִּלֶה *Jos. XV. 51.* vid. DANZIUS in *perfectorum formis n. 12.* tum ex *commoditate sensus.* Messias enim, victoria de peccato, morte ac Diabolo reportata, pacem

pacem nobis acquisivit perpetuam, hinc שר שלום haud immerito dictus *Es. IX. 9.* conf. *Col. I. 20.*

§. VI. *Posterior* adstruitur, nec temere, e loco *Deut. XXVIII. 57.* ubi mulier in fame devoratura esse dicitur שִׁלְיָתָהּ היוצאת מבין רגליה *secundinam suam*, ut communiter vertunt, *exeuntem ex inter pedes ejus*, & συνωνύμως construitur cum בנים & בנות *filiis* & *filiabus* coll. *v. 56.* unde conjectura prona nascitur, quod ibi est שִׁלְיָה, in nostro loco esse שיל & cum suffixo שילה filius sive fœtus ejus. Diversæ quidem sunt radices & שליה ad rad. שלה pertinet, & שיל ad rad. שול, analogia Grammatica hoc commonstrante: Sed nec infrequens est, has formas anomalas confundere significationem, ut in קון & קנה *Gen. IV. 1.* & tot aliis manifestum est. Vid. DANZII *lit. §. 43.* Sic עור & ערה *Jes. XXXII. 11.* שוט & שטה *Num. V. 12. Psalm. XL. 5.* פור & פרה *Lev. XXVI. 15.* &c. Cum itaque שליה indubie *secundinæ*, & per metonymiam *fœtus* significationem habet ex usu Hebræo, cur non eandem in שיל admittamus, ubi commodissimum habet sensum, & sic per ipsam literam *Messias Judæ* ἔκγονος sive *filius* dicitur, adeoque hic ei non tantum per consequentiam, sed & κατὰ τὸ ῥητὸν promittitur: hoc magis, cum in lingvis cognatis hujus significationis vestigia exstent, quæ PFEIFFER. in *Exerc.* in *h. l. cit.* & in *dub. vex.* adduxit, ac præterea *Jonathan* Targumista & Hebræi interpretes quamplurimi exhibent. Itaque causa nulla erat, cur derivatione & significatione hac missa, in *dubiis vexatis* alteram illam a שלה præferret PFEIFFERUS. Excipit quidem, se corrigens, non satis certum esse שיל notare *embryonem* & ponendum sic esse radicem שול, quæ nusquam extat. Sed quid tum? nonne dantur multa ἅπαξ λεγόμενα? sufficit nomen שִׁלְיָה in parallelo quoad phrasin loco significationem monstrare, & analogiam Grammaticam ad hanc radicem nos manuducere. Quis vero neget, radicem olim exstitisse, cum nomen ab ea derivatum שיל adhuc supersit? Dices: at hoc *fimbriæ* significationem habet. Eandem adeo habebit & שיל & consequenter *finem* significabit, id quod volebat Dn. ZELTNERUS & CLERICUS. At determinatam *fimbriæ* significationem ad generalem cujuscunque *extremitatis* & *finis* non licet pro arbitrio extendere.

Jam

Landesbibliothek Oldenburg

Jam licet alia significatio sit in שול *fimbria*, quam hic in שיל supponimus, notum satis est, significationes unius ejusdem radicis in derivatis admodum variare & modificari. Recte autem concludimus, ut a שלה tranquillum esse, שליה *fœtus* significationem habet, ita quoque cognati anomali verbi שול derivatum eandem significationem habere, quæcunque demum formalis hujus radicis significatio sit, prout מקנה a קנה & קין â קין ejusdem sunt significationis, docente nos prima matre Eva *Gen. IV. 1.* Porro, quæ jam ratio denominationis est τοῦ שליה *fœtus* a שלה, eadem erit τοῦ שיל a שול, & hæc radix non minus *faustum* quid & *prosperum*, quam illa significaverit, & sic quoque in שיל *tranqvillatoris* significatio manere aut certe includi poterit, & Messias nihilominus *Judæ filius*, sed *felix* & *tranqvillator* dicetur. Præterea si in τοῦ שלה *dominari* significationem supponere velis, ê *Thren. I. 5. Dan. VIII. 25.* cum Dn. SCHÖTTGENIO in Diss. Philolog. *de Schiloh dominatore* A. 1728. edita, hanc significationem quoque ad emphaseos majorem cumulum trahere potes. Cæterum, sive jam שילה ad rad. שלה referas, ut significet *tranqvillatorem*, sive ad שול, ut sit synonymum *filii* & cum suff. ה, *filium* vel ἔκγονον *Judæ* significet, [quod posterius in *Comment. in Gen.* sequitur B. LUTHERUS, licet in vers. voc. Held/ r. שלה respexisse videatur] manet, promissionem fieri certæ cujusdam personæ, quæ, cum tanquam singulare beneficium Judæ promittitur, certe alia intelligi non potest, quam quæ piis patribus & ante & post Judam promissa est. Atque hæc est MESSIAS.

§. VII. Postquam evictum dedimus, per שילה MESSIAM indicari, ejusque *adventum* prædictum fuisse, II. quæritur: *Utrum imperium verum prædicetur, & qvidem non tantum populi Judaici, sed & a posteris Judæ gerendum?* Caput prius quæsiti (א negant I.) qui שבט de *virga Castigationis* accipiunt, ut *Judæi*, existimantes, Patriarcham exilium eorum hodiernum prædixisse, ac Messiam nondum venisse, cum calamitatibus hisce adhuc premantur. Verum enim vero eos falli, probatur [1] Patriarcha enim huic tribui præ ceteris omnia prædixit fausta, & licet ablationem sceptri subinnuat, longe majori tamen bono compensandam, prædicit, sc. regno Messiæ universali & æternum. [2] Concludimus,

Landesbibliothek Oldenburg

mus, si per מחוקק bonum quid promittitur, in priori membro positum שבט faustum quid etiam importet, necesse est. [3] Falsum est, eos semper sub virga castigante fuisse. Sub regimine enim Salomonis præsertim summa felicitate, quiete ac tranquillitate gavisi sunt. II.) Qvi שבט de *tribu vel tribuli ratione* exponunt, ut ê Reformatis ALTINGIUS, TREMELLIUS, JVNIVS, AINSWORTH, JONCOURT *in Epistolis criticis A. 1715. editis ep. 2.* CONR. MEL. in *ultimis sermonibus morientium P. I.* GVSSETIVS in *C. L. E.* rad. שבט, ê nostratibus TARNOVIUS & hujus gener M. WASMUTHUS in *Vind. S. Hebr. Script. P. 2. L. 8.* quin & ex ipsis Judæis R. MANASSE & alii. Qvanquam vero & hæc interpretatio & *tribuum confusio* contra Judæos urgeri possit, non videtur tamen admittenda. (1) Ob *ταυτολογίαν, non recedet tribus a tribu.* Qvamvis contra hanc forte defendi queat. שבט enim accipiunt de tribuli ratione sive ipsa tribuum distinctione, יהודה vero de subjecto tribus sive Judæ posteris, ut adeo sine *ταυτολογία* dicatur, distinctam fore tribum in posteris Judæ: & si hoc sensu vel ipsissimis verbis diceres, non recessuram tribum a tribu, non tautologia foret, sed rhetorica antanaclasis. Verum præterea huic interpretationi non præter rem opponimus, quod (2) voc. סור nunquam significet *desinere* sed *recedere*, & si prius notaret, non esset שבט מיהודה sed שבט יהודה, ut *Zach. X. 11.* ושבט מצרים יסור. (3) Legislator in membro sequenti ut תומך שבט respectum manifeste ad שבט sive sceptrum regium habet. (4) Nec voc. שבט unquam *abstracte* accipitur pro *tribuli ratione*, sed, quoties de *tribu* accipitur, semper *concrete* de *hominibus tribum constituentibus.* Quo sensu Biblico si acceperis, manet *ταυτολογία*, sicque primum argumentum ab illa, quam attulimus, exceptione vindicatur. Huic classi adnumerari possunt, qui per שבט *tabulas* intelligunt *Genealogicas.* Si enim diversa quæque tribus ab altera fuit, utique credibile est, suas quamque tabulas genealogicas servasse sartas tectasque. Sed nec hac ratione tribus Judæ præ ceteris peculiare quid habuit. III.) Qvi שבט de *prærogativa* saltem interpretantur, quam etiam ante Davidis regnum in hac tribu hæsisse dicunt, & se exseruisse, cum Judas præ reliquis fratribus apud Josephum pro Benja-

Landesbibliothek Oldenburg

mine interceſſit, *Geneſ. XLIV. 18.* in caſtris metandis primum locum tenuit, *Num. II. 3. VII. 11. 12. X. 14.* nec non in terræ per ſortem diſtributione, *Num. XXIV. 39. Joſ. XV. 1. ſeqq.* item in deſignatione urbium Leviticarum, *Joſ. XXI. 4.* tum demum in bellis gerendis *Jud. I. 2. 19. XX. 18.* finito autem regno Judæ ſe exſeruiſſe non tantum in ducibus hujus tribus & Aichmalotarchis, ſed etiam in eo, quod ab hac tribu omnes reliquæ denominationem acceperint, quin in eam demum conceſſerint, cum, qui ê reliquis tribubus ê captivitate Babylonica ſparſim redierant, non minus, quam tribus Benjamin, tribui Judæ acceſſerint, ut EUSEBIUS *demonſtr. Evang. Lib. VIII.* ê recentioribus CASAUBONUS *Ex. I. ad Baronii ann. n. 2.* Eandemque ê Judæis in rem ſuam vertunt ABENESRA & inprimis ABARBENEL. Verum licet facile concedatur, in omnibus adductis prærogativis tribus Judæ præ reliquis fuiſſe excellentiam, & hanc maxime adaugeri ex eo, quod Meſſias ex hac tribu naſciturus promittatur: voce tamen שבט non quæcunque dignitas, ſed *verum imperium*, cujus *ſceptrum* ſemper ſignum eſt & in ſacra & in profana hiſtoria, intelligi ſolet, adeoque & h. l. promittitur. IV.) Qui יהורה non de *tribu*, ſed de *toto populo Judaico* explicatum volunt, ut iterum EUSEBIUS, & alii ê Patribus, CASAUBONUS *Exerc. I. ad Baronii annales.* NAT. ALEXANDER in *ſel. hiſt. Eccl. V. T. capitibus.* Vid. A. E. L. *ſuppl. I. p. 538. 541.* quibus vel ſola hæc reſponſio ſufficit, propoſitum divino vati fuiſſe, fata ſingularum tribuum diſtincte tradere, Judæque adeo propria *commat. 8. 9. 10. 11. 12.* fuiſſe prædicta, & ob id ſolum ad ceteras non extendenda. PHALETRANUS ſive PLATNERUS, dum regnum Judaicum reſtringit ad *tribum Judam, cum tribubus Benjamin & Levi poſt reditum ê captivitate Babylonica* conjunctam, priorem interpretationem interpolat; cui, cum tribum Judam ſolam non relinquit, eadem, quam modo diximus, ratio obſtat.

§. VIII. Porro priorem qvæſtionis partem ב) negant, qui מחוקק I.) de *Scriba* vel *Doctore Eccleſiaſtico* interpretantur, ut R. SALOMO, aut *Interpretibus legis*, ut ABARBENEL, & ê Chriſtianis quoq; ALTINGIUS *L. III. Schil. c. 4.* cui eſt ſcriba docens γραμματεὺς, RUARD. ANDALA in *exegeſi illuſtrium locorum ſcripturæ loc. 2.* & alii.

Verum

Verum מחוקק non vile, sed augustum sane vocabulum est, specialem importans potestatem leges si non ferendi [in populo enim Judaico solus Deus potestatem leges ferendi sibi servaverat, quatenus ad universum civitatis statum pertinebant] certe interpretandi, & cum imperio & jurisdictione applicandi, & per συνωνυμίαν vocibus *Regis* & *Judicis* jungitur *Es. XXXIII. 22.* & *Jud. V. 14.* מחוקקים & משכים בשבט *trahentes sceptrum* συνωνύμως itidem ponuntur. II.) Qvi de *Pontificia dignitate cum Principatu conjuncta* מחוקק acceptum volunt, ut PHALETRANVS, quales Pontifices unaque Principes post captivitatem Babyl. ad Christum usque viguerint. Verum, ne spurios hos ἀρχιερέας pro מחוקקים habeamus, obstat *Ps. LX. 8.* & *CVIII. 9.* ubi יהודה solum vocatur מחוקק: tribum vero Levi hoc nomine insignitum fuisse nusquam reperies. III.) Qui מחוקק de *Genealogiarum Scriptore* exponunt, ut JONCOVRTIVS v. *A. E. L. 716. p. 446.* Ad quos refutandos hoc satis est, quod in S. Scriptura nullibi reperitur, hanc vocem talem habere notionem, & nititur hæc interpretatio falsa illa hypothesi, quod שבט tribulem rationem significet. IV.) Qvi de *Duce bellico* accipit, JOB. LUDOLFUS in *Disp. in h. l.* ut adeo hic dicantur *& jura pacis & belli tribui Judæ usqve ad Messiæ adventum mansura.* Sed vir hic alioquin de literis orientalibus meritissimus falsa nititur lectione דגליו pro רגליו, ut mox videbimus.

§. IX. *Posterius caput quæstionis* §. V. propositæ inficiantur, qui τὸ מבין רגליו secus interpretantur, quam de *generatione.* Hoc quoque vario fit modo. Aut enim aliter legunt, ut is, quem modo diximus, LVDOLFVS, voci רגליו substituens דגליו *vexilla ejus*, ut adeo דגליו *signa militaria*, מחוקק *Ducem belli*, ac שבט *Principem domi* significet, quam diversam lectionem quoque sequitur J. CLERICVS *h. l.* Verum talis diversa lectio, aut potius, quæ supponitur, codicis Hebræi ê Samaritano correctio, aut revera corruptio, in integritatem Scripturæ est injuria, & supra fontes hunc codicem, ê quo lectionem illam substituit, evehit, cum tamen hic codex sit corruptissimus, â Dositheo quippe adulteratus, ut B. WAGENSEIL pluribus ostendit in *refut. carminis Lipmanni.* Hocque magis hæc correctio hic evitanda est, quod una & literas & puncta mutat, & sic nulla sui parte codicem

Landesbibliothek Oldenburg

Hebræum integrum relinquit. Aut diverſe explicant, codicis quamvis Hebraici lectionem integram retinentes. Alii enim מבין רגליו accipiunt I.] de *inſtitutione vel ſeſſione Scribæ vel Magiſtri docentis inter diſcipulos*, ut MANASSE B. ISRAEL. ALTINGIUS in *Schil. L. III. cap. §. 6. 7.* RUARD. ANDALA *l. ſupr. cit.* B. CRAMERVS noſter in *h. l.* &c. reſpicientes morem, quo diſcipuli ad pedes Magiſtrorum ſederunt, eamque ob rem provocantes ad exemplum Pauli, qui ad Gamalielis ſedit pedes, *Act. XXII. 3.* Sed adductus locus non probat, quod volunt, dicit namque Paulum ἀνατεθραμμένον, *enutritum* fuiſſe, non vero *informatum* ad Gamalielis pedes, ſed ejus fuiſſe *alumnum*. Nec Doctores ſediſſe dici poſſunt ad vel inter pedes Diſcipulorum, ſed hi potius ad illorum pedes, ut *Deut. XXXIII. 3.* de Iſraëlitis ad radices montis Sinai conſiſtentibus, tanquam Diſcipulis, dicitur והם תכו לרגלך, & *illi infimo medioque loco ſtant ad pedes tuos*, quo ipſo *Diſcipuli ad pedes Magiſtri ſtare* vel *ſedere* dicuntur, non *Magiſter inter diſcipulorum pedes*, quod ſi indicare voluiſſet Jacob, ante vocem רגליו ponere debuiſſet אל ſive ל, hoc modo: אל רגליו vel לרגליו *ad pedes* non autem מבין רגליו, pari ratione, qua *Act. XXII. 3.* Paulus ſediſſe dicitur παρὰ τὰς πόδας, non autem ἐν μέσῳ ποδῶν, multoque minus *ab inter pedes*, vel *ex medio pedum*. II.] ABENESRA, ABARBENEL accipiunt de *ſeſſione Scribæ Politici*, qui Principi aſſideat. Sed aliud eſt *adſidere*, aliud *inter pedes ſedere*, quod non magis dici poteſt de *Scriba Politico* (Secretair) quam *Diſcipulis*. *Aben-Eſræ* tamen favere putat phraſin SEB. SCHMIDIVS in *Coll. Bibl.* & cum per מחוקק intelligit *ſummam poteſtatem*, concipit ſibi Judam tanquam *Patrem ſtirpis*, cui hic habeatur honos, ut *inter pedes ejus poſteri ſedere* repræſententur. Sed ejus δευτέραι φροντίδες in *Comm. in Gen.* hoc interpretationis ſchema miſſum faciunt, ubi de *generatione* interpretari mavult. Hanc tamen explicationem interpolaſſe videntur, qui *habitum & morem leonis* deſcribi volunt, ut VARENIVS in *Dec. Moſaic. h. l.* DEVLINGIVS *P. II. O. S. 8.* Sed & hi, dum מבין dicitnr, מ negligunt: nec commode legitimum imperium tanquam ſpolium inter pedes teneri dici poteſt. Accedit, quod non abſtracte de *poteſtate* tantum, ſed & concrete de מחוקק *legislatore* & *principe* ſermo eſt, quem quis inter ungulas feræ beſtiæ

ſtiæ teneri dixerit? III.] De *educatione* interpretatur Dn. BERGERVS in Diſſ. de *Schilo principe pacis*, ſub præſidio Jo. GEORG. NEVMANNI *A. 1704. Witteb.* habita. Hinc מבין nude accipit pro בין *inter*, & tantum vult *medium* ſignificare, hocque confirmare ſtudet exemplis *Ez. X. 2* אש מבינות לכרבים. *Num. XVII. 2* מבין השרפה *Jeſ. XLIV. 4.* בבין חציר. Verum [1] in omnibus his locis præfixum בין τῷ מ ſignificationem addit, vel motus & termini â quo, vel etiam originis, ut adeo primus locus: *ignem prodeuntem* ab inter *cherubinis*, i. e. *è medio cherubinorum*, alter: *vaſa è medio incendii eripies*, ultimus tandem: *inter gramen germinabunt*, vertendus ſit, ubi licet מבין non exſtet, ſed בבין, nihilominus tamen ב vi conſtructionis originem notat. [2] Phraſes confert diverſiſſimas, מבין רגליו cum מעם ברכיו â cum *genubus ſuis Gen. XLVIII. 12.* h. e. cum genubus ejus impoſiti eſſent vel adſtarent nepotes, eos produxit Joſeph. Dicit: *inter pedes & genua quid intereſt? Ipſismet voces Ebræas ſono & ſignificatu convenire.* Verum, α) maxime differt vox ברכים â רגלים. *Pedes* enim in hac conſtructione cum מבין ἀδοῖα deſcribunt, *genua* tantum *ſinum*, quo nati excipiuntur, geſtantur, foventur. Et â ברכים, quæ curam & educationem ſolum important, ad רגלים argumentari non licet. β) מבין longe aliud dicit, quam מעם: Nam עם *cum* proximitatem tantum & præſentiam, בין complexum & inexiſtentiam una infert, hocq; ἐμφατικωτέρως uſurpatur ad originem naturalem ſive γονεῖαν deſcribendam, accedente מ; quo adeo notatur ἀπωσιασμὸς ſive effluxus & emanatio quædam liberorum â parentibus, inprimis, quoniam רגלים eas corporis partes deſignant ſecundum ſtylum ſcripturæ, quæ generationi inſerviunt, & ex integra phraſi videri poteſt, quæ licet de muliere *Deut. XXVIII. 57.* adhibeatur, pronum tamen eſt cum NEVMANNO ipſo colligere, analogum quid in viris hanc ipſam loquendi formulam deſignare. Hoc vero, quid ſit? ſi quæras; non ad *educationem* progrediendum, ſed in ſerie *actionum phyſicarum* manendum eſt, & cum in muliere *partus* deſcribitur, in viro intelligenda eſt *generatio*. Non minus enim â patre liberi prodeunt per *generationem*, quam â matre per *nativitatem*. (3) Minor eſt analogia in phraſibus, quas porro confert על ברכים

Gen. L. 23. Es. LXVI. 12. quæ loca indistincte accipit de *educatione.* Verum *prior* locus ילדו על ברכי יוסף, *filii Machir* sive *Menasse nati sunt super genua Josephi* accipiendus est de *adoptione*, vi cujus Machir filii pro immediatis Josephi filiis habebantur, ad quem modum Ephraim & Manasse, Josephi filios, Jacobus sibi adoptaverat *Gen. XLVIII. 3 sqq.* unde hi cum reliquis Jacobi filiis & suas tribus constituebant, perinde ac si ab ipso Jacobo geniti essent, de quibus adeo & supr. dictum; ויוצא יוסף אותם מעם ברכיו, *& eduxit illos Joseph â cum genibus suis*, c. *XLVIII. 12.* cum jam Patris adoptantis immediatæ potestati & curæ permitteret. *Posterior* vero, locus, licet ad *educationem* referri possit, cum τῷ מבין plane non convenit, sed dum liberi dicuntur *super genua oblectandi*, verbum hoc prægnans est, incluso alio, sc. in gremio gestati vel foti oblectandi. Et simul part. על hic usurpata respondet τῷ עם, quæ utræque vicinitatem tantum seu præsentiam dicunt, & addito מ *elongationem* & *recessionem*, *Salomone B. M.* passim observante; minime vero, prout בין *inexistentiam*, & *complexum*; adeoque addito מ *emanationem* & *effluxum*, atque *h. l.* pro ratione subjecti רגליהם, *generationem.* IV.) *Exercitus pedestris* descriptionem habet Veielius, existimans, Dn. Ludolfi *explicationem, codicis Hebræi lectione retenta, nihilominus retineri posse, si τὸ* רגלין *accipiatur de exercitu pedestri.* Contra quem observat Wagenseilius *l. c.* vocabulum רַגְלִי instar nominum gentilitiorum aliorumque in י servile desinentium suffixa non admittere; præterquam, quod nulla numeri, belli aut expeditionis in loco nostro fiat mentio. V.) *Cives, qui simul sunt milites*, intelligit Valandus, cujus vero sententia premitur iisdem difficultatibus, quibus proxime antecedens. VI.) *Finis & extremitatis*, & quidem *reip. Judaicæ*, descriptio est Wagenseilio. Existimat enim, *Judæ imperium promitti, licet non ex ipsis ejus posteris, horumque continua ad Messiam usque successione. Ablato namque per Nebucadnezarem sceptro, quæ sit potestas ἀνυπεύθυνος, populo præfuisse* מחוקק, *qui ipsi est magistratus ὑπεύθυνος, qui ad finem usque reip. duraverit.* Verum hujus cum rationibus, quantum satis est, obviam iverit Præses Celeberr. in exerc. philol. de *Sceptro legislatoris Judæ è posteris ejus*, *Gryph. 1705.* habita, otium nobis partum arripimus lubentissime. VII.) De

ter-

Landesbibliothek Oldenburg

termino terræ Judaicæ sive *tribus Judæ, in qvo sedit Synedrium in conclavi Gasith*, intelligere mavult Celeberr. Dn. ZELTNER. in *cit. Diss.* Verisimilitudinem aliquam habere poterat hæc interpretatio, si legeretur, מתחת רגליו aut nude מרגליו ut *Deut. XXXIII. 25.* מנעלך, quanquam tum quoque vix quisquam subodorari posset ellipsin nominis loci aut terræ: sed cum legitur מבין רגליו, descriptionem hanc esse loci, vix cogitari, nec locus inter pedes esse concipi potest. Et licet detur, בין ab absoluto בין *separationem* ac *discretionem* vi primæ suæ originis significare, licet etiam de loco usurpetur, semper tamen hoc fit cum expressa loci mentione, ut inter Bethel & Ai, *Jos. VIII. 12.* inter Mitzpam & Schen *1. Sam. VII. 12.* &c. quæ vero hic nulla est.

§. X Sed ne quis nos aliorum quidem sententias rejecisse, nostram autem non satis adstruxisse arguat, singularum vocum certam dabimus significationem, qua comprobata, ad utrumque qvæstionis membrum affirmative respondendum esse, evictum erit. I.) Igitur לא יסור, *non recedet*, exponendum est. לא reddi commodissime potest per *nec*, & sequens ו in מחוקק iterum per *nec*, priori respondens, hoc sensu: *nec recedet sceptrum, nec legislator.* vid. *Hos. III. 3.* Disjunctiva enim acceptio ו locum hic non habet, cum talem sensum nulla hic necessitas requirat. Qvi enim eam hic supponunt, ut sunt plurimi, suæ hypothesi serviunt, dum putant, sceptrum & legislatorem non simul recessisse, sed illo ablato, hunc tantum usque ad Messiæ nativitatem mansisse. סור significationem infert *recedendi*, præsertim, cum constructa est cum מ sive מן; per accidens nonnunquam *accedendi* notionem habet, & ê verbo absoluto vi constructionis fit verbum prægnans, aliudque includens. Inprimis notetur, verb. סור non *partialem* sive aliqualem, sed *omnimodam* ac totalem dicere *recessionem* sive ablationem. II.) שבט, *Sceptrum*, cum nec *tribum* h. l. neque quamcunque *eminentiam* sive *dignitatem* significare demonstravimus, per metonymiam signi pro *imperio* accipiendum est, cujus apud quascunque fere gentes insigne habitum est, & adhuc dum inter imperii insignia refertur. Hoc nobis facile persvadent antecedentia commatis 8. & 9. *Judam celebratum iri à fratribus suis; manum ejus impositum iri hosti-*

hostium cervici; & filios fratris ejus ei se incurvaturos esse; prædam sibi acquisiturum esse, quam nullus ei eripiet. Sane, uti prædam reportare, fortis herois & victoris est, ita bella gerere, imperantis; & cum Judæ â fratribus honos adorationis habendus dicitur, hic alius intelligi nequit, quam qui ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις debetur *Rom. XIII. 1. 7.* Nobis itaque sufficiat intelligere *h. l.* imperium aliquod sive regimen proprium, quod suis gaudet legibus, suaque auctoritate. Hic verò uti jam arguimus, qui in defectu peccant, ita excessus quoque sollicite vitandus est, ne tale supponamus imperium, quod in applicatione ad eventum deprehendi non poterit. Excedunt, qui *regium imperium* significari volunt, uti communior fere est sententia, in qua jam tum præiverunt PSEUDO-JONATHAN & TARGUM HIEROSOLYMITANUM, quam nec Christiani, nec nostratium plurimi missam fecerunt: nec inter recentiores, WAGENSEILIUS, J. M. LANGIUS in de *Genealog. Christi.* SANDHAGEN in Sendschreiben 10. *p.* 1. ANDALA, Dn. RUS, & qui non? Excedunt, quoque, qui de summo & ἀνυπευθύνῳ imperio accipiunt, ut iterum WAGENSEILIUS, CUNÆUS, PHALETRANUS, BUDDEUS in *Hist. Eccles.* Sed cur nos in tantas angustias redigi sinamus? Nam uti præter imperium regium summum, etiam aristocraticum & democraticum datur, non minus summum; ita præter *summum* datur etiam *subordinatum*, licet non summum, *verum* tamen *imperium*, idque non minus aliud quodcunque quam regium. Vel ex Romana historia hoc notum est, qui jam ante Cæsarum imperium imperarunt Regibus, unde fieri posse videmus, aristocratiis quoque & democratiis (ex utraque civitas Romana mixtam formam habebat) Reges parere. Dantur מלכי ארץ it. שרים & שפטי ארץ *Ps. CXLVIII. 11.* dantur ἐξουσίαι, βασιλεῖς ὑπερέχοντες, iisque subjecti πειθόμενοι *Rom. XIII. 1. 1. Petr. II. 13. 14.* Vox etiam שבט in Scriptura S. Vet. T. significat aliquando quidem summum *unius* imperium *Amos. I. 5. Zach. X. 11. Ps. II. 9. XLV. 7.* nihilominus etiam imperium notat *plurium* & potestatem â superiori concessam, e. g. שבט משלים *Es. XIV. 5.* שבט הרשע *Psal. CXXV. 3.* Et qui *1. Par. XVII. 6.* dicuntur שופטי ישראל *Judices* Israëlis, iidem *2. Sam. VII. 7.* sunt שבטי ישראל *sceptra* Israëlis. *Judices* intelliguntur, Magistratus apud Hebræos

Hebræos non tantum extraordinarius, uti apud Romanos Dictatores, sed & pro statu tum temporis theocratico ὑπεύθυνος, agnoscente Gideone *Jud. VIII. 22. 23.* non sane *tribus*, sed *Magistratus*. Ut enim *illarum* est *pasci*, sic *hujus*, *pascere*. Hi tamen *sceptra* non minus appellantur, quam *Judices*. Eam ob causam *sceptrum* nobis est imperium quodcunque, sive unius, sive plurium; sive summum, sive inferius aut commissum; verum tamen, suis imperii juribus, si non omnibus, aliquibus certe, suis legibus, suaque jurisdictione gaudens.

§. XI. III.) מיהודה *à Juda*. Vocabulum hoc, quod alias fuit nomen filii Jacobi Judæ sc. ei in nativitate inditum, metonymice acceptum denotat *posteros Judæ*, *tribumqve*. Metonymica ista significatio *h. l.* valet, non vero alia, qua vel *terra Judaica* indicatur; nam quis sanæ mentis crederet, Patriarcham terram fuisse allocutum? vel *totus populus Judaicus* includatur; is enim heic loci intelligitur Jehudah, quem celebrarunt fratres ejus, conf. *v. 8.* qui ab eo erant distincti. Complectitur ergo יהודה *personam Judæ* non ut privatam, sed publicam, & *tribum* ab eo descendentem, ab eoque denominatam, Judam ut *personam compositam*. IV) ומחוקק *nec legislator*. Uti sceptrum potestatem *in abstracto*, ita מחוקק *in concreto* notat eum, qui *verum imperium exercet*, sive unus, sive plures. Vocabulum hoc adeo est augustum, ut Deo perinde ac Judicibus Regibusque tribuatur *Es. XXXIII. 22.* imo מחוקק tanquam excellentior שרים & גריבים præfertur *Num. XXI. 18.* Sexies in Particip. Piel legitur; de *Deo*, *Es XXXIII. 22. Mose*, *Num. XXI. 18. Deut. XXXIII. 21. tribu Jehudæ*, *Ps. LX. 9.* & *CVIII. 9. Legislatoribus tribus Manasse*, *Jud. V. 14.* Insuper, quoniam multitudini & in specie *tribui Judæ* hanc vocem tribuit David, & a se distingvit, *Ps. LX. 9.* dicens: יהודה מחוקקי *Juda legislator meus*; non absonum erit colligere, hac voce a Patriarcha quoque intellectum & prophetico spiritu prædictum fuisse *synedrium* sive *collegium illud magnum*, quod a Mose institutum *Num. XI. 16.* & *Deut. XVII. 8.* præter Levitas maximam partem ab hominibus ex tribu Juda electis constitit, atque per omne tempus duravit ad reipublicæ usque casum: quod adeo, Regibus non exclusis, (unde *suum* מחוקק David dicit,) & nonnunquam cum

Landesbibliothek Oldenburg

Regibus, nonnunquam solum administrasse imperium censendum est. V.) מבין רגליו *ab inter pedes ejus.* Phrasis מבין רגליו integre spectanda est, nec tantum in se, sed & qua constructionem. Partes ejus componentes sunt מ, בין & רגליו. בין, licet inter particulas referatur, revera tamen nomen est. Cum enim nomina apud Hebræos per terminationes casuum non mutantur, particulæ paria cum ipsis faciunt, adeoque nominum indolem habent. Itaque בין forma constructa est ab absoluto בֵּין, & id, quod *medium* est, sive *medietatem* notat. רגל autem proprie significat *pedem*, per synecdochen vero *inferiorem* connotat *corporis partem*, ut *Es. VII. 20. XXXVI. 12. pili, aqvæ pedum* & in phrasi *tegere pedes Jud. III. 24. 1. Sam. XXIV. 4.* Jam vel ipsa proprietate vocum retenta, significat id, *qvod est inter pedes*, quod, quid vel quale sit, per se intelligitur, nec membri genitalis propria magis descriptio dari poterat. Præterea constructio τῆς בין cum מ attendenda est, nec non præfixi מ cum antecedentibus. Sed & hic communiter impingunt, dum referunt ad verbum סור recedendi, & hinc novas difficultates aut deprehendunt, aut certe nectunt. Facilis in hunc errorem prolabendi fuit occasio, dum verb. סור cum part. מ utique construitur, hinc *h. l.* dici existimarunt, *non recessurum sceptrum & legislatorem à pedibus vel ab inter pedes Judæ.* Verum contra LUDOLFUM Dn. PRÆSES in *Dissert. cit.* satis demonstravit, longe aliam esse constructionem *h. l.* τῆς מ, non cum verbo סור, sed cum verbo subintellecto יצא. Et sane verbum subintelligendum, manifesto arguit ineptus sensus, qui emergit, si cum סור construatur, quod concedendum omnino est. Qvodnam vero verbum subintelligendum sit, analogia phraseos Hebraicæ, & quæ in ea occurrit, locus parallelus liquido monstrat. Integram habemus phrasin *Deut. XXVIII. 57.* ubi שליתה היצאת מבין רגליה, *secundina* s. *fœtus* (mulieris scil. delicatæ) dicitur *exiens ex inter pedes ejus.* Hoc verbum יצא, ibi expresse positum, hic subintelligere necesse est, sicque *legislator prodiens ab inter pedes Judæ non recessurus* dicitur *à Juda* sive *tribu Judæ*, cujus in præcedenti membro mentio facta, & ubi מ præfix. cum verbo סור constituitur. Jam, uti *exire ab inter pedes* de *muliere* usurpatum est

est *nasci*, ita usurpatum de *viro*, est *gigni*. Frustra igitur ad *solas mulieres* restringunt MUSCULUS, LUDOLFUS, DIECMANNUS & quotquot generationem *h. l.* significari negant. Nam id, quod generationi inservit, non minus viris, quam feminis est inter pedes, unde & est Latinorum *interfemium*. Et in sp. רגלים Hebræis indifferens est ad utrumque sexum, uti שער הרגלים, *Es. VII. 20.* מימי רגלים, *Es. XXXVI. 12.* perinde ut viris æque ac mulieribus מעים *viscera* competunt, ex quibus sine sexus differentia liberi prodire dicuntur, tum Patris *Gen. XV. 4. 2. Sam. VII. 12. XVI. 11.* tum Matris *Gen. XXV. 23. Ruth. I. 11.* Unde B. SCHMIDIUS *in Comment. ad Genes.* τὸ esse ab inter pedes ejus, inquit, *est elegans & modesta descriptio nativitatis, non tantum a Matre, sed etiam a Patre; sicut alias filii è femoribus Patrum exire dicuntur.* רגלים & מעים *communia* sunt generationi inservientia membra, *specialia*, quoad mares חלצים *lumbi vel femora*, ut יצא מחלצים *Gen. XXXV. 11. 1. Reg. VIII. 19. 2. Chron. VI. 9.* quod phrasi ἐξέρχεσθαι ἐκ τῆς ὀσφύος *Hebr. VII. 5. 10.* æquipollet, unde & nati יצאי ירך *egredientes è femore Gen. XLVI. 26. Exod. I. 5.* dicuntur, quoad feminas בטן ut *Job. I. 21. Eccles. V. 14.* יצא מבטן. Et quod פרי בטן, καρπὸς τῆς κοιλίας Matris Mariæ *Luc. I. 42.* appellatur, est καρπὸς τῆς ὀσφύος Patris Davidis *Act. II. 30.* Hinc jam certum est, מחוקק יוצא מבין רגליו esse *legislatorem naturali generatione a Juda, ejusq; posteris descendentem*, quo in consensum nobis præbent Targum ONKELOS & HIEROSOLYMIT. per מִבְּנֵי בְּנֹהִי *de filiis filiorum* ejus reddentes. Itaque, cum שבט significat *imperium verum*, מחוקק *imperantem, & secundum leges jus dicentem*, τὸ מבין רגליו *veram* sive *generationem* sive *nativitatem*, hinc jam utrumque qvæstionis membrum affirmandum constat, & *tribus Judæ in sp. imperium* prædici, & *idem a posteris ejus, naturali generatione prodituris, administrandum.*

§. XII. Pedem igitur promovemus ad tertiam instruendam qvæstionem. III.) *Utrum imperii illius non tantum continuatio, sed & continua è posteris Judæ in imperio ad Messiam usqve successio prædicatur?* Hujus qvæstionis decisio pendet a recto duarum posteriorum enunciationum intellectu; *donec veniat Schiloh, vel filius ejus, & ei [cui] erit obedientia populorum.* Inprimis autem hic ad part. עד כי attendendum est, quam *donec* interpretes communiter &

Landesbibliothek Oldenburg

recte quidem vertunt. Judæi vero, Judæ politicum cum Messiæ spirituali ac æterno imperio confundentes, particulas hasce separant, vocemque עד ad partem priorem versus rejiciunt, & per *æternitatem* reddunt. Verum hoc cum *constructioni*, tum *accentuationi* repugnat. Qvod ad *constructionem*, vocabulum עד *æternitatem* notans jungitur vel *particulæ separatæ* עדי, ut *Ps. LXXXII. 18.* עדי עד vel מני ut מני־עד *Job. XX. 4.* vel *præfixo* ל ut לעד *Job. XIX. 24.* vel *præfixo* ו antecedente עולם cum ל, ubi tamen habet sægol, ut לעולם וָעֶד *Exod. XV. 18.* vel hoc modo עולם וָעֶד *Ps. X. 16.* vel *cuicunq; nomini, æternitatem significanti*, ut עד עולמי עד *Es. XLV. 17.* &c. ante part. כי autem nunquam æternitatem involvit. Qvod ad *accentuationem* attinet, quivis facile perspicit, accentum regem Athnach distinxisse part. עד a voce præc. רגלין. Tum exemplorum inductione regula conficitur sine exceptione: *Qvoties part.* עד *cum* כי, אשר &c. *constituitur, & inprimis ante se habet accentum distinctivum majorem, qvam ipsa habet, nunqvam significat æternitatem, nec a seqventibus divellenda est, sed cum* כי *constituit unum adverbium temporis.* conf. WASMUTH. in *vind. loc. 8.* Itaque עד כי conjunctæ particulæ constituunt significationem adverbii *donec*, quo notatur terminus rei in antecedentibus designatæ. Ibi vero promissum demonstravimus *imperium gerendum a posteris Judæ*, quod cum non recessurum dicitur ante hunc terminum, *continuam certe posterorum Judæ in imperio successionem ad hunc usqve terminum* promitti, manifestum est; nec adeo *imperii hujus cessatio ante Messiæ adventum esse* potest. Hinc bene ALTING. in *Schil. Lib. II. c. 9. Vocabula* עד כי, *donec, qvi exponunt de adventus Messiæ termino, ablato jam a Juda sceptro & legislatore; qvod plurimi plerorumq; Patrum exemplo faciunt, plane contradictoriam amplectuntur sententiam ejus, qvæ Patriarchæ Jacobi fuit. Dicunt enim, auferetur sceptrum de Juda, anteqvam venerit Schilo, cum Jacobus dixerit, non auferetur, donec venerit.* Hinc concludit: *Verum isthæc loqvendi formula,* עד כי *vel* עד אשר *vel* עד אם, *vel qvandoq;* עד *solum semper denotant continuationem rei, de qva agitur, ad terminum designatum*, quod inductione probat. *Gen. XXVI. 13. XLI. 49. XXVII. 43. XXIX. 5. Jos. II. 16. 21. 2. Sam. VI. ult. Jes. XXII. 14.* Num *ultra fixum terminum continuatio futura sit, nec ne?* hoc ex indole & natura substratæ materiæ judicandum est; quo jam pertinet in GLASSII

Gr. S.

Gr. S. l. 3. tr. 4. can. 12. Adverbia donec & usqve non semper tempus futurum excludunt, sed sæpe seqvens tempus omne includunt.

§. XIII. Itaque utrum h. l. *seqvens tempus includatur, nec ne?* ê seqv. enunciatione est judicandum. ולו יקהת עמים *& ei erit obedientia populorum*, in qua ולו respicit extra omnem dubitationem præcedentem v. שילה, adeoque Messiam. Nam respectum nec ad שבט, nec ad יהורה, aut מחוקק ullum habere potest. Illis enim nulla ab exteris populis exhibita fuit obedientia, eaque universalis. יִקְהַת enim significat *obedientiam*: & tutissimam incedunt viam, qui a יקה (rad. apud Arabes adhuc superstite) *paruit, obedivit*, hoc vocabulum derivant, ut plurimi Hebræorum. Hæc enim derivatio est simplicissima, nec ullam habet anomaliam, nisi dagesch euphonicum, cujus vero simillimum exemplum habetur in מִקְדָּשׁ *Exod. XV. 17.* אִתְּמוֹל *1. Sam. X. 11.* Quod enim ה tertia radicalis non est in aliam quiescentem mutata, tantum abest, ut sit anomalum, ut potius sit כמשפט sec. modum perfectorum, licet non כמנהג sec. consvetudinem, ut Hebræi Grammatici loqvuntur. Sed sine anomalia non possunt defungi, qui alio referunt, vel ad קוה vel קהל in sign. *congregandi*, ut FORSTNERUS, vel קהה pro כהה in sensu *constringendi*, sicque iterum *congregandi* vel *consociandi*, vel ad rad. נקה, ut GUSSETIUS in rad. יקה & נקה, ut significet *purificatorem*, qui καθαρισμὸν peccatorum nostrorum fecit *Hebr. I. 3.* Nam & in illo loco, ubi iterum occurrit, *Prov. XXX. 17.* hæc significatio est aptissima, similiter ut in nostro. Denominat enim populos, ut Messiæ subditos, quorum proprium est, Regi obedientiam præstare, *Ps. XVIII. 45. 2. Sam. XXII. 45.* Et ad Messiæ regnum non unum populum pertinere, sed omnium fore confluxum, tot vaticiniis constat. *Jes. XI. 10. II. 3. Mich. IV. 1. sq. Hagg. II. 8.* &c. Qvodsi vero *congregationis* significationem assumseris, idem dicitur. Congregatio enim populorum ad Messiam cum obedientia est conjuncta, & sine obedientia nulla potest esse congregatio. Jam cum post Messiæ adventum, populorum ad eum congregatio fore & subjectissima ei a populis præstanda obedientia dicitur, dici nequit, Messiæ hoc regnum per suam naturam politicum Judæ tollere, sed erecto hoc & illud perdurare poterat: adeoque hic nulla

Landesbibliothek Oldenburg

plane continetur comminatio regni tribus Judæ cessaturi, hoc minus, cum & Messiæ thronum Patris sui Davidis Deus promisit. *Luc. I. 32. 2. Sam. VII. 12. seqq.* Cum tamen nec duratio regni politici ulterior expresse promittitur, ex *eventu* judicium ferendum est, qui docuit, post adventum Messiæ illud Judæ imperium utique cessasse, quod ex alia causa evenit, ipsorummet Judæorum inobedientia, qui nolebant Messiam in se dominari, *Matth. XXI. 38. Luc. XIX. 27.* adeoque rejecto sponte Messiæ regno spirituali, justo Dei judicio politicum etiam, licet inviti, amiserunt: quod licet non *b. l.* alibi tamen Deus expresse comminatus est. *Dan. IX. ult.*

§. XIV. Atqui ita quidem evictum est, *sceptrum* sive *imperium ante adventum Messiæ non debuisse auferri:* num ita evenerit, & *non prius ablatum sit?* nunc dispiciendum restat. Atque hæc est altera atque posterior nostra opera, secundum *seriem* & *fata populi Judaici* exigenda. Itaque non minus *sceptri* sive *imperii* in populo hoc *constitutio*, quam *cessatio* & *ablatio* spectanda est. *Sceptrum accepit* populus Judaicus, cum in civitatem ordinatam coiit, sive resp. constituta est. Factum hoc est post egressum ex Ægypto. Diserte hoc asserit Psaltes regius, *Ps. CXIV. 1. 2. Cum exiret Israël ex Ægypto, domus Jacob è populo barbaro* (peregrini sermonis) *factus est Juda sanctum ejus, Israël regnum ejus*, hendiadys, i. e. regnum sanctissimum Deoque consecratum. Qvale hoc regnum fuerit, tum ê constitutione ejus, tum inprimis ex ipso Dei testimonio intelligitur, *Exod. XIX. 5. 6.* ubi Deus ad populum: *Et nunc, si omnino obtemperaveritis voci meæ, & observaveritis fœdus meum, eritis mihi peculium ex omnibus populis* (סגלה) *nam mihi est omnis terra. Et vos eritis mihi regnum Sacerdotum, & gens sancta.* Ex his verbis apparet 1) Deum populum Israëliticum ex omnibus populis sibi elegisse in proprietatem & peculium, & cum omnis terra ejus sit, in peculiarem suum populum. 2) Rempl. sive civitatem in hoc sibi appropriato populo ipsum constituisse, & quidem sub ea regiminis forma, quæ *regnum* dicitur. 3) Regnum autem cum requirit Regem, nec tamen Regis cujusdam constituendi vel elegendi mentionem facit, hoc ipso se *immediatum* hujus sui populi *Regem* esse velle declaravit. 4) Regnum hoc dicitur כהנים, *sacerdotum.* Proprie est *ministrorum*, in quo *populus* non tantum

antum ſubjectus & ſubditus eſſe, ſed & *miniſtrorum* vices obire debeat. 5) Jam porro, cum ad hoc peculiare miniſterium regium integri populi opera non requiratur, ad illud ex toto populo hoc ſibi delegit, quos jam tum peculiari beneficio ſibi obſtrinxerat, ſcilicet *primogenitos. Exod. XIII. 1. 2.* Sed cum primogenitorum multitudo per integrum populum diſperſa erat, nec commode in unum locum ad ſingulare Dei miniſterium convenire poterat, ab hoc miniſterio iterum pecunia redimi voluit, *Exod. XIII. 13.* & unam pro iis *tribum Levitarum* ſibi deſtinavit, quæ ſincerum ſuum in Deum animum zelo ſuo vindicandæ per vitulum aureum commiſſæ idololatriæ ſatis declaraverat, *Ex. XXXII. 28.* quæ conſtitutio habetur *Num. III. 40 ſeqq.* Unde & *primogenitos* & *tribus Levi homines* Deus voluit connumerari, & qui ê primogenitis Levitarum numerum excedebant, CLXXIII. pro ſe quemque quinque ſiclos ſolvere juſſit Aaroni & filiis ejus, *v. 46. ſqq.* *Hunc* enim & *ejus poſteros*, quoniam & integræ tribus nimia multitudo erat, ad *peculiare* ſuum *miniſterium* delegit, *Exod. XXVIII. 1. ſeq. Num. III. 10. 38.* hisque reliquos *Levitas* tanquam inferiores in iis, quæ ad Dei cultum pertinent, ſubordinavit & miniſtrare voluit. *Num. XVIII. 2. ſqq.* Sic quidem Deus Rex apparatum regium & *miniſtros ſuos aulicos* habuit, quos inter *ſummus Sacerdos* intimioris ſuit admiſſionis, (in hoc typus *viri Deo proximi Zach. XIII. 7.*) cui in ipſum ejus conclave ſtato tempore introire fas erat. Sed hæc quoniam magis ad *Regis cultum*, quam ad *imperii exercitium* & *regni adminiſtrationem* pertinebant: ad hoc quæ pertinent, Deus primo ipſe immediate egit; populum in viſibili nubis ſigno tanquam Imperator & Dux ducendo, *Exod.* XIII. *21. 22.* XXXII. *34.* XXXIII. *16. 17.* leges publice & ſolenniter promulgando, *Exod.* XIX. *ſqq.* quæ, ſi in ulla alia rep., hic maxime *fundamentales* dici poſſunt, per Urim & Thummim in cauſis dubiis & magni momenti jus dicendo, *Exod.* XXVIII. *30. Lev.* VIII. *8. Num.* XXVII. *21. Eſr.* II. *63.* reliqua judicia minora per Moſen. adminiſtrando, *Exod.* XVIII. *13.* qui hinc & ipſe *Rex in Iſraële Deut* XXXIII. *5.* i. e. Dei Prorex tum in ferenda lege, tum in convocandis conventibus publicis dicitur. Quoniam vero maximæ neceſſitatis & perpetui uſus eſt *juſtitiæ adminiſtratio*, nec ſolus Moſes tam vaſto negotio vacabat, ut jam tum agnovit Jethro, conſilium

Landesbibliothek Oldenburg

um ſalubre ferens, *Exod.* XVIII. *13. ſqq.* denique Deus ipſe immediate inſtituit *collegium LXX. ſeniorum*, penes quod ordinaria juris dicendi poteſtas eſſet. *Num.* XI. *16. ſqq. Deut.* XVII. *8. ſqq.* Hæc ita â Deo immediate conſtituta resp. non inepte â JOSEPHO *l. 2. c. Appion. p. 1071 edit. Ittig. Theocratia* dicitur. Sed, qui de prima hac reip. Judaicæ forma plura cognoſcendi avidus eſt, poſt J. SPENCERUM in *pec. diſſ. de Theocratia Judaica*, ſubjuncta *L. I. de legibus Judæorum ritualibus*, adeat allegatos tum de hoc argumento, tum de rep. Hebræorum in gen. â J. A. FABRICIO in *Bibl. Antiqv. c. 14.* & J. LUD. REIMERI *remp. Hebræorum*, ex SIGONIO, BERTRAMO, CUNÆO aliisque concinnatam.

§. XV. Nobis nunc naſcitur qvæſtio: *An jam tum ſub primis inſtitutæ hujus Theocratiæ temporibus ſceptrum ſive imperium penes tribum Judæ fuerit? an vero penes aliam?* Fuiſſe in *tribu Levi*, exinde videri poterat, quod *regnum* dicitur *Cohanim* ſive *Sacerdotum*, qui tribus erant Leviticæ, hocque in rem ſuam maxime verterit PHALETRANUS, qui per *legislatorem, ſummum ſacerdotem* intelligit, penes quem etiam poſt captivitatem Babylonicam & ultimis temporibus imperium fuerit. Verum *regnum Sacerdotum* dicitur, non quod Sacerdotes imperio præerant, hoc enim hactenus ſolus Deus ſibi ſervaverat, ſed quod Dei in hac Theocratia Regis ipſi tantum *miniſtri* erant. Ad rerum gerendarum curam ipſos adhibitos fuiſſe non legimus, ſed Deus vel immediate vel per Moſen proregem pleraque adminiſtrabat. Hactenus igitur penes tribum Judam ſceptrum eſſe nec potuit. Poſtquam autem Deus inſtituit *ordinarium LXX. ſeniorum conſeſſum*, ſi hujus conſeſſus *pleraqve membra è tribu Juda fuiſſe* demonſtrari poteſt, & inprimis *præſidem ejus ex hac tribu fuiſſe*, non præter rem dixeris, jam tum *collegium hoc ſceptri compos factum* fuiſſe. Communis quidem ſententia eſt, *cum Davide demum ad tribum Judæ ſceptrum deveniſſe*. Sed hæc falſæ illi hypotheſi ſuperſtructa eſt, *ſceptrum, regium* aliquod *imperium* deſignare, quam jam deſtruximus. *Conſeſſus LXX. ſeniorum* cum verum habuit imperium, & judicia publica exercuit, quod inter jura Majeſtatis non minimum eſt, ſceptrum tenuiſſe negari nequit,

§. XVI. J. CLERICVS quidem in *Diſſ. I. Commentario ejus in Libros*

bros V. T. historicos annexa, de *LXXII Virorum in rep. Populi Hebræi synedrio*, negat in *ll. cc.* esse institutum, negat quoque fuisse continuatum, sed ejus *initia demum ad tempora Seleucidarum* refert, & ad VORSTIUM provocat, qui in *Diss. A. 1651. Rostochii edita perpetuitatem* illam *magni synedrii* jam impugnaverit. Eadem quoque fuit sentia CONRINGII *de rep. Hebr.* & FRISCHMUTI apud CARPZOVIUM ad SCHICKHARD. de *Jure reg. Hebræor. c. 1.* qui PERERIUM quoque dubitasse refert, an unquam fuerit in rep. Hebraica tale concilium, quem vero castigavit MENOCHIVS. Nobis nunc cum *Clerico* res erit, cujus exceptiones non videntur tanti esse momenti, ut propter eas sententiam in historia Sacra manifesta vestigia habentem deseramus. *Collegium LXX virorum Num. XI.* tantum *temporarium* habet, *facultate vaticinandi ad id præditum, ut Mosis auctoritatem assereret, & in officio populum contineret.* Hoc vero ipsis verbis, quibus hi seniores jubentur una cum Mose *ferre onus populi*, repugnare, vel ipse agnoscit, cum phrasis hæc civilis sit de *curis imperii & judiciorum publicorum*, quibus Moses levari optaverat. *Deut. XVII. 8. de ordinario judicio*, quod certam fixamque sedem habiturum sit in eo loco, quem Deus ad cultum solennem electurus erat, qualis demum Hierosolyma fuit, agere, *ad quod a minoribus appellatur*, tam manifestum est, ut nec ipse habeat, quod cum aliqua specie excipere possit. Penes hoc autem *judicium* tanquam *perpetuum* & *ordinarium*, semper *sceptrum* sive *imperii habenas* fuisse, ut intelligatur, *fata reip. Judaicæ* secundum *temporum periodos* spectanda nobis sunt, & ejus vestigia sollicite observanda, quæ delere nobis *Clericus* nititur, inprimis cum ad manum nobis in præsentia non sint, quæ adversus eum scripsit de hoc argumento RICHARD. SIMON, referente Dn. FABRICIO *l. c.*

§. XVII. Post excessum Mosis summæ rerum Dei jussu præfuit Josua *Deut.* XXXIV. *9.* Ast non omnis, sed inprimis *rei bellicæ* & *populi in terram introducendi*, tum & *terræ in tribus distribuendæ* cura ipsi demandata fuit *Deut.* XXXI. *23. Jos. I. 1. 2. Judicium LXX* mansit. Comitiis solennibus, quæ ante exitum vitæ habuit, interfuisse non tantum *singularum tribuum seniores*, sed & quam maxime *LXX seniores*, quis dubitet, cum & in specie *Judicum* mentio fiat? *Jos.* XXIV. *1.* Post Josuæ mortem *tribui Judæ administratio belli* commissa

est, *Jud. I. 1. 2.* in quo jam iterum in hoc tribu enituit *exercitium juris Majestatis*. Sed cum post Josuæ & æqualium excessum succedens generatio in idololatriam & vitam dissolutam prolapsa esset, justa Dei ira vicinorum populorum incursionibus & vexationibus expositi sunt, unde & corruptissimus & turbulentus ac confusus admodum reip. status fuit. Hinc *Clericus* argumentum trahit, judicium ordinarium tunc non fuisse; quod idem est, ac si in bellis civilibus senatum Romæ fuisse neges. Non plus hinc colligi potest, quam LXX illos judices ordinarios officium suum non fecisse. Atque hæc causa fuit, cur Deus *Judices*, i. e. *Magistratus extraordinarios* passim ê variis tribubus excitaret, *Jud. II. 16. Tribui Judæ* tamen hic honus datus, quod primus Judicum Othniel ex illa esset, *Jud. III, 9.* In hac temporis periodo Gideon *formam* reip. *theocraticam* agnoscit, dum pro se & filio suo summum in populum imperium recusat, quod solius Dei Jehovæ sit. *Jud. VIII. 22. 23.* Qvod vero sæpius repetitur, illo tempore non fecisse regem in Israële, quemque quod ipsi rectum videbátur, fecisse, *Jud.* XVII. 6. XVIII 1. XIX. *1.* XXI. *25.* argumento est, in intestinis, quæ tunc exarserunt, bellis, auctoritatem synedrii nullam fuisse, nec ad continendum populum ferocientem valuisse, sed ad hoc imperium aliquod majus & severius sc. regium necessarium fuisse, perinde ut nec Romæ in bellis civilibus senatus auctoritas valuit. Nec adeo, quod Levita ob constupratam pellicem LXX consessum non adiit, inde *Clericus* concludere potest, tunc synedrium nullum fuisse: alia ratio erat sollicitandi universi populi, quod auctoritas judicii tanto malo resistendo, nedum vindicando, non erat sufficiens. Usque ad *Samuelem* hic status fuit: Sed & hic *Magistratus* erat *extraordinarius*, ut reliqui *Judices*, & collapsa judicii ordinarii auctoritate judicia annua per vicos exercuit. *1. Sam. VII. 15. 16. 17.* Filios cum in suum locum sufficere vellet, & hi rei gerendæ non essent idonei, occasio data est populo postulandi Regem, & Deus denique voluntati ipsius cessit. 1. *Sam. VIII. 1. sq.* prout dudum hunc eventum præviderat, lata in hanc rem lege, *Deut. XVIII. 14. sqq.* Atque sic ê *theocratia* factum est *regnum*; ê *regno Dei, humanum*: *theocratiæ* tamen *reliqviis manentibus* in legibus tum forensibus, tum ritualibus, in ministerio sacerdotum continuato, nec non ad tempus in judicio Urim & Thummim.

§. XVII.

§. XVIII. In hac temporum serie cum *a Davide usq; ad Zedekiam è tribu Judæ reges* fuerunt, penes hos *sceptrum tribus Judæ* fuisse negari nequit; sed hac ratione in Zedekia, Regum prosapiæ Davidis ultimo, iterum cessasse, perinde concedendum est. Non ergo penes *hos solos continua sceptri successio* quærenda, sed iterum, ut *synedrium* respiciamus, necesse est. *Sub Regibus nullum fuisse synedrium*, causatur *Clericus*. Sed hic plane eum destituit judicium criticum. Si qua extant in historia sacra *synedrii* vestigia, sub Regibus sane extant manifestissima. Nonne primus David fatetur: יהודה מחוקקי *Juda legislator meus*, *Ps.* LX. *9.* CVIII. *9.* Se cum sciret esse *Regem*, Judam nihilominus agnoscit *legislatorem suum*, perinde ut Rex Angliæ Parlamentum suum dixerit, cujus nulla alia ratio dari potest, quam quod *è tribu* inprimis *Juda* constituti essent *Judices*, qui secundum leges divinas jus dicebant. Et eo magis hic locus observari meretur, quia docet, ex ipsa *hac tribu* hos fuisse *judices*, qui una cum Rege remp. si non totam, certe aliquam partem tractabant. Magis adhuc manifestus est loc. *Ps.* CXXII. *3. 4. 5. Hierosolyma ædificata est tanqvam urbs, in qva una convenitur, qvoniam illuc adscendunt tribus, tribus Domini, Synagoga Israëlis, ad celebrandum nomen Domini. Nam ibi sedent throni ad judicium, throni domus David.* Describitur hic Hierosolyma, ut urbs metropolis, in qua totius populi conventus tum sacri cum civiles habeantur. Dicuntur tribus adscendere ad celebrandum Dominum, quod, ut de comparatione solenni masculorum annua in tribus magnis festis accipiendum est; ita, cum dicuntur *sedere throni ad judicium*, & quidem *throni domus Davidis*, non possunt alii intelligi, quam *publici & ordinarii judices*, iique maximam partem *ad stirpem Davidis originem referentes*. Confer cum *Deut.* XVII. *8.* & deprehendes exactam cum institutione divina convenientiam. Cum autem ê Regibus multi fuerunt impii, qui adeo nullam aut exiguam ut cultus divini, ita quoque synedrii â Deo instituti curam habuerunt; pius Rex Josaphatus non tantum passim in terra & civitatibus judicia constituit, sed & summum Hierosolymæ judicium restauravit. Digna sunt verba, quæ integra legantur, ex *2. Paral.* XIX. *8 9. 10. 11. Etiam Hierosolymæ constituit Josaphat ex Levitis & Sacerdotibus, & è capitibus Patrum Israëlis ad judici-*

um Domini & ad lites forenses, & reverterunt Hierosolymam. Et præcepit illis dicens: ita facietis in timore Domini, fide & corde integro. Quod attinet ad omnem litem, quæ veniet ad vos è fratribus vestris habitantibus in urbibus suis, inter sangvinem & sangvinem, de lege, præceptis & statutis & judiciis; admonebitis illos, & non rei fient Domino, nec erit ira super vos & fratres vestros. Ita facietis, & non rei eritis. Et ecce Amarias summus Sacerdos est super vos in omni negotio Domini, & Sabadias filius Ismaël, princeps domus Jehudæ in omni negotio Regis & exactores Levitæ sunt coram vobis. Confirmate vos & facite. 1) Cum collapsus erat confessus hic judicialis, Josaphat eum restituit, & quidem ut constans esset judicium, העמיד. 2) Cum migrasset aut pulsus esset Hierosolyma, Josaphat in locum suum consvetum redire jussit. 3) Qui adsessores judicii hujus fuerint, hinc etiam discimus, non saltem Levitas & Sacerdotes, sed & capita Patrum Israëlis ex aliis sc. tribubus. 4) Sed & duo ejus Præsides commemorantur, alter summus Sacerdos, alter נגיד בית יהודה *princeps domus Judæ*, cujus appellationis nulla alia ratio esse potest, quam quod hujus tribus fuerit. Nec adeo vana est Rabbinorum traditio, quod *Præses synedrii* semper fuerit ê *tribu Juda* & *familia Davidis* licet alium *Præsidem Ecclesiasticum*, *summum Sacerdotem*, collegam habuerit. 5) Denique pro diversitate Præsidum & causæ sive negotia, de quibus coram hoc judicio fuit disceptatum, dispescuntur in duo genera, in *sacras* דבר יהוה & *civiles*, דבר המלך, ad has referenda *criminalia*, בין דם לדם, ad illas, *moralia* & *ritualia*, בין תורה למצוה לחקים ולמשפטים. Qvis majorem desideret lucem? nec adeo videmus, qua fronte scribere potuerit *Clericus: Jam ante ostendimus judices illos, Hierosolymæ a Josephato restitutos, fuisse judices, qvales erant in singulis urbibus, non synedrium illud decantatum, qvod toti reip. præesset.* Manifesto enim distingvuntur *a judicibus in singulis urbibus. v. 4. 5. 6.* Qvin sub Jojakimo adhuc *synedrium* sedisse legitur, & in *templo* quidem, & ex *Adsessoribus* partim *Sacerdotibus* & *Prophetis*, partim *Principibus Judæ* constitisse, cum de capite Jeremiæ disceptaretur. *Et audiverunt principes Judæ verba hæc, & adscenderunt è domo Regis in domum Domini & sederunt in ostio portæ Domini novæ* &c. *Jer. XXVI. 10. sqq.* Discordibus quoque sententiis, politicorum adsessorum magnam

gnam fuisse auctoritatem hinc constat, cum invitis Sacerdotibus *Principes Judæ* Jeremiam insontem pronunciarunt, *v. 16. sqq* conf. *XXXVIII. 5.*

§. XIX. Incensa & desolata à Babyloniis Hierosolyma, Judæi LXX. annos in captivitate Babylonica hæserunt, *Jer. XXV.* 11. *XXIX.* 10. *Dan.* IX. 2. Tum quidem fuerunt *captivus populus*, sed satis liberaliter habiti, ut vel ex *Jer.* XXIX. 4. *sqq.* apparet. *Synedrium* quoque *una in Babyloniam descendisse*, TARGUM ad *Cant. VI.* 1. refert, cujus licet non magna fides sit, verosimile tamen, aliquod politiæ Schema ipsis precario relictum fuisse, ut suis legibus viverent, suisque uterentur sacris. Abs hoc enim si fuisset, non potuissent *matrimonia inire, agros colere, vineas plantare, domos extruere*, cum circa hæc multa è lege Judæorum forensi observanda erant, ad quæ omnia tamen eos Propheta exhortatur; nec adeo de nihilo est, quod de *Aichmalotarcha è tribu David* Judæi referunt.

§. XX. Soluta per Cyrum captivitate Babylonica, in terram suam redierunt tribus Juda & Benjamin, & qui è Sacerdotibus & Levitis supererant, cum paucis ex aliis tribubus, sed *summum imperium ipsis restitutum non est*, nec *regium*, sed tantum secundum suas vivendi leges & sacra exercendi atque hunc in finem urbem & templum, quanquam non sine difficultatibus, restaurandi, facultas data, uti in Libris *Esræ* & *Nehemiæ* legi potest, ut & *Dan. IX.* 25. Sub alieno imperio *servos* mansisse ipse *Esdra* fatetur: *Nam servi nos sumus & in servitute nostra non deseruimus Deum nostrum, & inclinavit ergo nos misericordiam coram Regibus Persiæ* &c. *Esdr.* IX. 9. & *Neh.* IX. 36. 37. *Ecce nos hodie servi, & in terra hac ipsa, quam tradideras majoribus nostris, ut fruerentur fructu ejus & bonitate ejus, ecce nos servi in ea. Nam proventum suum fert regibus, quos præposuisti nobis propter peccata nostra. Etiam in corpora nostra dominantur, & in jumenta nostra pro voluntate sua, adeo ut in angustia magna simus.* Interim *imperium* illis mansit, idque *verum*, licet non *summum* sed ὑπεύθυνον Una *cum synedrio*, nec *regium* sed *ducale*, prout de hac quoque commutatione vaticinatus est *Ezechiel cap.* XXI. 26. 27. ubi illud quidem totum remotum, nec idem fore, quod antea fuerat, sed in *cidarim ducalem*, signum potestatis regia minoris, commutatum iri dicitur. Nota versionem B. LUTHERI: Ich wil die Krone zu nicht/ zu nicht/ zu nicht machen / quam qui sequitur facile dicet, regnum fuisse eversum: fons vero ipse habet עוה אשימנה *perversam* h. e. deteriorem *reddam illam*, quod indicat, *imperium* illis remansisse, deterioris quamvis conditionis. *Synedrium tunc restitutum* negat *Clericus*, nec *ullam ejus mentionem fieri putat in Libris Esdræ aut Nehemiæ.* Verum *Esd VII* 25. legimus, Artaxerxen Esdræ potestatem fecisse constituendi *judices* & *causarum cognitores, qui causas cognoscerent in toto populo, quod est trans flumen, ex omnibus scientibus legem Dei* Hos *judices toti terræ trans-Euphratæa præpositos*, quis negat esse *synedros*, quorum tam ampla fuit pote-

ſtas? Nec *ſynedrio* deerat *Præſes è tribu Juda.* Aperte enim fit פחה *ducis* mentio, *Mal. I.* 8. & quidem פחת יהודה *ducis ex Juda Hagg. I.* 1. quo nomine inſignitus *Sorobabel*, cujus ſucceſſores recenſitos habes 1. *Par. III.* 19. *ſeqq.* item Nehemias dicitur פחה *Neh. XII.* 26. aliique ante eum fuerunt *Neh. V.* 15. ut adeo *Principes ex Juda tribu prognatos* ſoluta captivitate fuiſſe conſtet, quos ſimul *ſynedrii Præſides* fuiſſe, vero eſt ſimillimum.

§. XXI. Poſt Perſas ſub Græcorum & Seleucidarum imperio fuerunt Judæi, iisque tributa penderunt, ſuis autem legibus vixerunt & ſuis ſacris uſi ſunt: quod iterum eſt *imperium aliunde conceſſum* & *precarium*, *verum* tamen. Hoc jam tempore *ſynedrium magnum* fuiſſe, JOSEPHO cum *Clericus* habeat fidem, quam Sacræ literæ ipſi facere non potuerunt, non eſt, quod ultra cum eo contendamus, licet ſub Seleucidis demum cœpiſſe putet. Si autem *ſynedrium* fuit, ejusdem, ut antea, indolis fuiſſe, dubium non eſt, & præter Levitas & Sacerdotes ê *tribu Juda* plerosque habuiſſe *adſeſſores*, & ex *eadem tribu Præſidem politicum*, Summi Sacerdotis, in ſacris Præſidis, collegam, qualis ejus olim ſub Regibus conſtitutio fuit. Qvod hoc tempore *apud ſummos Sacerdotes* JOSEPHUS rerum adminiſtrationem fuiſſe adſerit *L. XI. A J. c.* 4. *L. XX.* 8. quod pro ſe allegat PHALETRANUS & alii, hoc non alio ſenſu facit, quam quod Sacerdotes maxime conſpicui ſynedrii adſeſſores erant, & in ſacris hujus Collegii Pontifex Maximus Præſes erat. Et quoniam ipſe ê genere Sacerdotali erat, hoc generis ſui honori dediſſe exiſtimandum eſt, quod *Sacerdotis Summi* mentionem potius facit, quam *Principis è tribu Juda*, licet hic non minus, & alii ex hac tribu, quam *Summus Sacerdos* ad reip. clavum in *ſynedrio* ſederint. Qvod *Zach. VI.* 11. *ſeqq. gemina corona Joſuæ Sacerdotis Summi capiti* imponitur, per id non conſtituitur princeps & magiſtratus, quod cauſatur *Phaletranus*, cum Deus in politia Judaica hæc munia ſemper diſtincta eſſe voluit, & ut *tribui Judæ nihil de Sacerdotio dictum eſt, Hebr. VII.* 14. ita *nec tribui Levi qvicqvam de regno*; ſed *ſignificationem* tantum habet *typicam*, ut Joſua Summus Sacerdos repræſentaret *Virum Zemach.* i. e. *Meſſiam*, qui & *Sacerdos* & *Rex* ſimul futurus erat *v.* 12. conf. *Pſ. CX.* 1 *ſqq.*

§. XXII. Cum ſub Antiocho Epiphane Judæi tyrannide preſſi vexarentur, & ad Græcorum Sacra & idolomaniam recipiendam ſollicitarentur, Maccabæi ſive Aſſamonæi eos in libertatem vindicarunt, qui ex ſacerdotali genere erant. Ex his Ariſtobulus Hircani, junioris Mattathiæ filii, filius nomen & diadema regium demum uſurpavit, & ejus filii & nepotes in regno ſucceſſerunt. Verum hi cum ê tribu Levi fuerunt, ſceptrum tribui Judæ promiſſum penes eos eſſe non potuit, hoc minus, cum eorum regnum non â Deo ſancitum & inſtitutum, ſed ipſorummet arbitrio aſſumtum & uſurpatum fuerit. BARONIUS quidem quoad *maternam originem* eos ê *tribu Judæ* fuiſſe contendit. Sed quanquam hoc verum eſſet, quod vero ſupponit, non probavit, maternæ originis apud Judæos, ut & alias gentes, nulla ratio habita fuit. Itaque & in hac temporis periodo nullum *ſceptrum Judæ* deprehendimus, niſi in *ſynedrio*, cujus, dolen-

Landesbibliothek Oldenburg

dolendum est historiam nos non habere integram. Sed pro fundamento hic supponendum est, quale illud in historia sacra nobis fuit descriptum, tale quoque posterioribus temporibus fuisse.

§. XXIII. A Græcis sub Romanorum demum potestatem devenerunt Judæi, quod factum est occasione fœderis, quod Judas, externa auxilia contra Græcos quærens, cum iis iniit. 1. *Macc. VIII.* Hinc orta inter Aristobulum & Hyrcanum fratres contentione, hic Pontificatu pulsus ad Pompejum M. fugit, qui Mithridatico bello confecto, Judæos adgressus, Hierosolymam cepit, & Hyrcanum in pontificatum restituit, impositoque Judæis stipendio procuratorem dedit Antipatrum Idumæum, cujus filius fuit Herodes M. sub cujus ultimis temporibus Messias demum natus est. Habemus hic iterum *externum* in Judæos *imperium*, adeoque horum *non summum:* qua *domesticum* quoque *imperium* habemus *magistratum* non ex *tribu Juba*, sed *peregrinum Idumæum.* Frustra Herodis causam agit CASAUBONUS contra eos disputans, qui per Herodem alienigenam sceptrum ablatum contendunt, ut plerique Patres, ORIGINES, THEODORETUS, EPIPHANIUS, AUGUSTINUS & recentiores BARONIUS, PERERIUS, SPANHEMIUS, PHALETRANUS, &c. Hinc negat, *Herodem alienigenam fuisse*, quod Idumæi dudum in civitatem Hebræam recepti erant, & sacris Judæorum initiati, in unam cum iis gentem coaluerint *Exerc. I. in Baron. n.* 34. Vnde & DAMASCENUS & STRABO pro viro Judaico habeant. Sed utut se habeat conjunctio totius gentis Idumææ cum Judæis, quæcunque etiam fuerit Herodis religio, manet tamen, *ortu extraneum* fuisse & *gente Idumæum*, non *Judæum.* Nec satis erat, *Judæum* vel *Israëlitam*, vel & *Benjamitam* fuisse, si non fuit *è tribu Juda*, ortus *ab inter pedes ejus.* Ast, jam ante Herodem per captam â Pompejo Hierosolymam, & Romanis stipendiariam factam, sceptri ablati initium existimat fuisse CHRISTOPH. CELLARIUS in *disp. histor. de Cn. Pompeji M. expeditione Judaica, Hal.* 1703 habita. Verum si *externum imperium* ad *tollendum imperium* sufficit, cur non jam dudum in captivitate Babylonica & sub Persarum & Græcorum imperio sceptrum ablatum existimat? Et si vel minimo ante Christum exhibitum tempore sceptrum ablatum esset, sic quoque prædictionis veritas vacillaret. Sane in hac ultima periodo nullum habemus *sceptrum* sive *imperium tribus Judæ*, si non *in synedrio* adhuc tum superstite. Hoc quoad rerum habenas non dimisit, *Judæ sceptrum* tenuit. Fuit autem adhuc *synedrium* tempore Herodis M., ut qui nondum Rex ad dicendam causam se ipsi stitit, licet armatus, narrante JOSEPHO *Lib. XIV. A. I. c.* 17. & *Lib. I. de B. I. cap.* 18. Idem Herodes quidem eo ipso, quo natus est Servator, anno, adsessores synedrii trucidasse legitur apud PHILONEM & JOSEPHUM. Tunc ergo, Messia jam exhibito, sceptrum ablatum existimat WALTHERUS in *Diss. h. l.* cum GALATINO *L. IV. de A. C. V. c.* 8. Verum cum eos, qui *è regio erant sangvine*, interfecit, omnes simul ê medio sustulisse, credi non potest, cum plures fuerunt ê *tribu Juda synedri*, licet non regii sangvinis. Tum in occisorum locum alios suffecit, quos itidem *e tribu Juda* aliquam certe partem fuisse, existimandum est.

§. XXIV.

§. XXIV. Qvin extremo Christi tempore, cum publice doceret, & eo ipso anno, quo mortem obiit, adhuc *synedrium* fuisse, & post ejus mortem, quod verum habuit imperium, ex *historia Evangelistarum* & *Actis Apostolicis*, manifestum est. Hoc erat, quod ad Johannem legatos mittebat, *Joh. I.* 19. quod de morte servatoris consilia agitabat, *Joh. XI.* 47. & decretoria sententia eum damnabat, *Matth.* XXVI 59. sqq. *Marc.* XIV. 64 ac denique Pilato, Præsidi Romano occidendum tradebat *Luc.* XXIII. 1. *Verum* quoque habebat *imperium*. Ipsimet fatentur, se adhuc habere τόπον & ἔθνος, *terram & populum*, in quem imperium exerceant, quæ cum metuunt, ne Romani iis auferant *Joh. XI.* 48. *imperium* sibi *relictum* fatentur. Et ut illud in *Sacris Præsidem* habuit *Pontificem*, sic in *civilibus* quoq; *præsidem e tribu Juda habuisse*, dubio caret, cum hoc instituti ejus ratio postulet. Negant quidem, *sibi licere quemquam interficere Joh. XVIII.* 31. sed hoc restricte accipiendum est de eo mortis genere, quo Dominum, tanquam seditiosum, affici volebant, *supplicio* sc. *crucis*, quod tam sollicite postulant *Joh.* XIX, 6. Nam & *coram Pilato mortis sententiam dicunt. v.* 7. & quoad supplicii genus hunc volebant esse executorem. Quæ post mortem Servatoris *Synedrii* vestigia sunt, supervacaneum est colligere, cum ad institutum nostrum satis est, ostendisse, *ad mortem usq; Servatoris Synedrium salvum ac integrum mansisse*.

§. XXV. Atq; ita quidem, quod constituum nobis fuit, satis evicimus, *ante Messiam exhibitum*, i. e. natum, passum & mortuum, quin post ejus resurrectionem & in cœlum adscensionem, effusum in Apostolos Spiritum Sanctum, & hos in universum orbem ad prædicandum missos, (quæ omnia ad adventum Messiæ completum pertinent) *sceptrum* sive *verum imperium â tribu Judæ nec auferri debuisse* secundum *vaticinium*, *Gen.* XLIX. 10. nec *ablatum esse*, secundum *eventum*, superstes autem fuisse in *synedrio*, ejusque tum *adsessoribus*, tum *Præside Politico*, per quod Politia Judæorum administrata fuit ad extremum usque ejus halitum, sive ejus una cum urbe & templo per Titum Vespasianum eversionem. Atque hac quidem via rectissime & tutissime nobis incessisse videmur, cum & Judæos in hoc consentientes habemus, qui itidem sceptrum hoc synedrio strenue adserunt, adeoque hac ratione ex *h. l.* facillime convinci possunt, *Messiam dudum venisse*, cum hodie nullum synedrium, urbe patria destructa, & terra, ad quam imperium illud erat adstrictum, expulsi, habeant, sed sine omni *politia*, sine *propriis legibus* æque sub Christianis ac sub Turcis triste exilium, quod ipsi fatentur, patiantur. Qvod ad disitas regiones, easque ultra fluvium Sabbationem sitas, provocant, fabulosum ipsa experientia deprehenditur.

S. D. G.

(o)